pientum animos minime peruadant; certe non nihil infigunt ſiniſtri, quod de nobis credere nolint, ſuſpicari tamen non vereantur, magis exactæ probitatis, quàm reconditæ eruditionis homines, nos ab heterodoxorum partibus propiùs abeſſe: & qui ſe magis in nos beneuolos, aut minus infenſos reputant; vix poſſunt hęc à ſe omninò præiudicia abjicere, nos multa euulgare nomine S. Doctoris, ab eius mente aliena: aut ſi quas ex illo docemus & defendimus opiniones, ad eius ſenſum accedant, leuibus muniri Argumentis, nec admodùm cum Traditione Eccleſiæ, ac Patrum ſententiis conuenire, magiſque Philoſophiam humanam, ac Peripateticorum ſpatia, quàm Salomonis Porticum, quàm Pauli Theologiam reſipere.

His itaque capitibus quatuor, tota accuſationum in nos ſumma continetur; nempe nimia indulgentia diſſolutæ Euangelij diſciplinæ, corruptorum erroribus dogmatum: & qui has duas grauiſſimas cenſuras, quaſi inſontibus remittunt; fere nauſe abundi res noſtras attingunt, & vix nobis condonare poſſunt culpam, magis excultæ Philoſophiæ Ariſtotelicæ, quam Eccleſiaſticæ Traditionis, atque hinc male feriatæ doctrinæ, quæ ſin errores, certe non amodum ſolida & efficacia habeat, quibus ſe Sapientibus approbet. Poſſem horum criteriorum pleraque, & fere omnia nihil morari, & ſpernere; quod adeò aperte falſa, & præpoſtera ſint, vt ſuos auctores magis traducant, quàm S. Doctori vllam notam, & labem aſpergant. Ad multa etiam horum conuitiorum patientia & ſilentium, qualibet ſcriptione opor-